

Christian Kortholt    Henricus Hagen

**Exercitatio I. ad Historiam Judith, Roberto Card. Bellarmino, eiusdemq[ue]  
Hyperaspistae Jac. Gretsero Iesuitae, potissimum opposita**


Rostochii: Kilius, 1663

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740035444>

Druck    Freier  Zugang



R U Med 1663  
Christian Kormolt/a  
Vert.: Heinrich Nagel



65  
EXERCITATIO.  
*ad*  
HISTORIAM  
JUDITH.

Roberto Card. Bellarmino, ejusdemq;  
Hyperaspistæ Jac. Gretsero Jesuitæ, potissi-  
mum opposita,

*quam*  
IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI,  
Suffragio Amplissimi Collegii  
Theologici,

PRÆSIDE  
CHRISTIANO KORTHOLT,  
Holsato, S. Theol. D. do & P. P.

*publico Eruditorum examini,*  
In Auditorio magno, ad diem vii. Octobr.

*submitit*  
HENRICUS Hagen / Holsatus.

•• ( o ) ••

ROSTOCHII,  
Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.  
ANNO M. DC. LXIII.

1663

70

E X E R C I T A T I O

HISTORIAM


I U D I T H

Roberto Caro Bellarmino, eiusdemque  
Hyperaspistae Jac. Graetzeri, seu  
num. epist.

IN ACADEMIA ROSTOCHENSIS  
Suffragio Amplissimi Collegii  
Theologiae

P R A E F A T I O

CHRISTIANO KORTHOLO



Holln. S. P. P.  
In Auditorio magno, ad diem Octob.  
1684

HENRICUS SAGNER HOLLNER

1684

ROSTOCHII

Typis JOHANNIS KILII, Aed. Typogr.  
ANNO MDCCLXXXIV

## Corollaria Philosophica RESPONENTIS.

1. An Metaphysica rectius appellanda veniat nomine *Ontologiae*?
2. Affectiones non superaddunt Enti aliquod positivum.
3. Duratio est Affectio Entis unita.
4. DEUS est Objectum Metaphysices.
5. Metaphysica utitur abstractione secundum rem & rationem à materiâ.
6. Non omnes affectiones Entis differunt ab Ente formaliter, nec omnes realiter.
7. Forma non educitur è potentiâ materiæ.
8. Quod prædicatur de formâ, prædicatur etiam de formato.
9. Causa finalis non est causa propriè diæta.
10. Anima humana an creentur, an verò per traducem propagentur, de eo certi aliquid statuere non ausi sunt S. Augustinus, multiq; alii ex vetustate Doctores: Interim Argumenta eorum, qui pro creatione militant, haud spernenda esse existimo.



**R**obora, bella, arma atq; minas, Pater effere, jactas:  
Sed tua sunt arma & robora bella minus.

**HAGENIUS** tibi quàm Divino robore fultus  
Impune insultet, pagina docta docet.

Præstantiss. DN. HAGENIO, Auditori suo perquam  
industrio, in fidem benevolentia scrib.

Joh. Fridericus König D.



Ad

Eximium & Eruditissimum

**DN. HENRICUM Hagen/ Holsatum**, S. Theologiæ & Philosophiæ Studiosum, popularem singulariter dilectum,

PRÆSES.

**T**u quoq; nunc, nostri DORSCHExempla  
secutus,

**JUDITHÆ** gestus pensiculasse sacra?

Laudo conatus, civis, laudatq; Rosetum

Omne simul mecum; patria plaudit humo.

Quid juvat in solis doctrinam querere sacrâ

Postillis? qui mos nunc fere ubiq; viget.

Antea quam summa mysteria Theologiæ,

Antea quam textus aggrediare sacros,  
Philologos ac historie secreta per ampla

Summo cum studio pervoisisse decet.

Sic genuina tibi sapientia nascitur, atq;

Abdita Scripturæ sic tibi sacra patent.

Pergito sic solidis studiis incumbere,

amande

Sympatriota, parat ferta Minerva tibi.

Ausu

A Ufui felici conscendas docta Sophorum  
Pulpita, defensor sis strenuus æq; disertus  
Vestrarum thesium, dilecte HENRICE, favebit  
Hinc studiosa cohors, quod votum nectit amico!

Hæc in gratiam Præstantissimi Dni. Respondente benigna  
precante crenâ  
fundebat paucâ

M. Michaël Wagnerus, Pastor Catharinianus.

Quid iuvat Artificem didicisse fideliter artes,  
Externum specimen si non vult edere doctis?  
HAGEN, noster amor, gnævum quem prædicat omnis,  
Hactenus attentâ Tu mente volumina doctum,  
Voluisti, ut nosset Græcorum scripta Sophorum,  
Quæq; sacris fidei mysteria condita libris.  
Quare laudandum specimen jam prodere doctum  
Gratulor, incepto summus benedicat Jova!

Ita vocet

Nicolaus Schoeff, Lubecens.

Siccine, Noster Amor, jam publica pulpita scandis?  
Ingenii dotes exprimis atque Potens?  
Gratulor ex animo: Cælum pia cœpta secundet,  
Fac Patrio referas commoda grata solo.

Amico & Conterraneo suo apposuit

Jacobus F. F. Fabricius.

A Ufuge, Bellarmine, carent tua cuspide tela,  
Subtrahete, feriet cuspis acuta caput.  
Hem tibi, Bellarmine! jaces? quin surge, repugnes,  
Si poteris, KORTHOLT, HAGENIOq; meis!  
Thomas Tilenius, Oldenburg-Wagria-Holf.





Ad

# HISTORIAM JUDITH EXERCITATIO.

I.



Obertus Card. Bellarminus, agens de libro Judith, lib. I de Verbo DEI, cap. XII: *Est, inquit, adversus hunc librum difficillima quadam objectio. Nam videtur historia ista omnino conficta, cum c. 5. dicatur contigisse post reversionem populi à Babylonica captivitate, & tamen dicatur c. 1. eo tempore Nabuchodonosor Rex Assyriorum pugnasse contra Arphaxad Regem Medorum, qui edificaverat Ecbatana: qua nullo modo coherent. Nam quo tempore populus rediit à captivitate, eversa erat monarchia Assyriorum, & non Nabuchodonosor, sed Cyrus, vel Darius, Assyriis & Persis ac Medis imperabat. Hæc summa difficultas miro modo exercuit ingenia hominum eruditorum. Ita Bellarminus: qui statim subdit, duas esse de hac difficultate tollenda sententias principales: unam eorum, qui velint, historiam Judith contigisse post captivitatem.*

A Babylono-



Babyloniam; quorum aliqui referant eam ad tempora Cambysis, aliqui ad tempora Darii Hytaspis, alii ad regnum Artaxerxis Ochi: alteram illorum, qui doceant, contigisse isthanc historiam ante captivitatem Babyloniam; quorum rursus aliqui eam referant ad tempora Sedeciae, aliqui ad tempora Josiae. Quia vero nulla harum sententiarum videtur satis probabilis Cardinali, proinde, iis examinatis & exploratis, tandem, secutus Melchiorem Canum lib. II de Locis Theologicis cap. VI, asserit, historiam Judith incidisse in tempora Manassae Regis Juda, & sic contigisse ante captivitatem Babyloniam.

II. Verum enimvero, ut ut haec Bellarmini opinio reliquis istis speciosior aliquanto sit ac probabilior, si tamen diligentius expendatur, apparebit sane luce clarius, posse nec ipsam consistere, & a quamplurimis, quibus obnoxia est, difficultatibus satis liberari: quod superstruatur hypothesebus, dubiis partim omnique probabilitate destitutis, partim manifeste falsis; & historia, quae contigisse creditur, circumstantiis ejus temporis, quod Bellarminus assignat, neutiquam accommodari velit.

III. Nempe prima Cardinalis hypothesis est, eum, qui in libro Judith dicitur Nabuchodonosor, quiq; Holofernem cum exercitu scribitur misisse, esse Merodach Baladan illum, qui II Reg. XX, 12. ac alibi in Scriptura memoratur. Unde vero id probabitur? Equidem, ubi dixerat Hunnius, temporibus Regis Manassae non vixisse ullum Assyriorum Regem, qui Nabuchodonosor fuerit appellatus, sive in sacris, sive in profanis historiis, & a Bellarmino rationes flagitaverat ac testimonia, quibus confirmetur, Merodach Baladan fuisse

3

fuisse alio nomine appellatum Nabuchodonosor, stomachose Gretserus, in Defensione Controversiarum Bellarmini: *Afferit hac Prædicans, inquit, sed ne vel unica ratiuncula probat, nullum tempore Regis Manassæ vixisse Assyriorum Regem, qui Nabuchodonosor nuncuparetur; nisi quod conviciis incessit Bellarminum, putantem, Nabuchodonosorem istum esse Merodach Baladan, cujus mentio fit 4. Reg. 20. & alibi. Ac paulo post: Quæso te, Prædicans, ait, legistine omnes historias, tam quæ exstant, quam quæ interciderunt? perlustrastine omnia antiquitatis monumenta, ut tam audacter asseveres, Nabuchodonosorem, de quo in libro Judith, non esse Merodach Baladan? Ego sane nullam micam ullius argumenti cerno, quo hanc opinionem vel leviter tangas. Verum recordari heic debuisset Gretserus illius triti, quod & ipse in colloquio Ratisbonensi olim repetierat ac inculcaverat: Affirmanti incumbit probatio. Et certe ὑπερηφανείας est noster ille Apologeta, quando abs Hunnio heic postulat, ut probet, nullum tempore Regis Manassæ vixisse Assyriorum Regem qui Nabuchodonosor nuncuparetur. Quis, obsecro, tale ἄνωγν unquam audivit a tanto disputatore, quantus utiq; apud Pontificios habetur, ceu notum est, Gretserus? In primis autem observet lector cordatus, ipsum Bellarminum, cujus patrocinium heic in se suscipit Gretserus, dum tres priores de præsentī controversia sententias excutit, inter duodecim illa, quibus easdem oppugnat, argumenta, secundo statim loco ponere hoc ipsum: Nusquam legimus Reges Persarum appellatos Nabuchodonosor, nec in sacra, nec in profana historia, sed solum Reges Babylonios: non igitur Cambyses aut Darius est ille Nabuchodonosor, de quo agitur in historia Judith. Numquid*

col. 226.

sef. 1, p. m.

22.

A 2

ergo

4  
ergo & heic dicendum: Afferit hoc Cardinalis, sed ne vel unica ratiuncula probat, unquam Reges Persarum appellatos Nabuchodonosor? item: Quæso te, Cardinalis, legistine omnes historias, tam quæ extant, quam quæ interciderunt? perlustrastine omnia, antiquitatis monumenta, ut tam audacter asseveres, Nabuchodonosorem, de quo in libro Judith, non esse Cambysem aut Darium? Sed pergamus.

iv. Secunda Bellarmini hypothesis est, Arphaxad, Regem Medorum, cujus mentio Judithæ 1, esse Dioclem seu Dejozem; quippe quem Manassis tempore apud Medos regnasse, testis sit Eusebius in Chronico. Verum neq; hoc subsistere ullo modo potest. Scilicet Dejozes, juxta Eusebium (cujus Chronologia heic innitur Bellarminus) regnare cœpit anno iv Manassis, & Merodach Baladan, uti vult Bellarminus, ejusdem Manassis anno iii; Jam vero Jud. 1, 6, legimus, Nabuchodonosorem, sive, ex Bellarmini hypothesis, Merodachum, de bellasse Arphaxad, quem Cardinalis eredit esse Dioclem seu Dejozem, anno sui regni xii, qui juxta Bellarminum est annus Manassæ xv, Dejozis autem, ex Eusebii computo, xi. Si ergo is, quem apud Juditham prælio vicisse narratur Nabuchodonosor, esset Dejozes, quod vult Bellarminus, sequeretur, Dejozem xi imperii sui anno victum, regno exutum, imo, quod in Græco textu additur, captum jaculisq; confixum esse. At vero hæc manifeste pugnant cum Herodoto & Eusebio; quorum ille Dejozem regnasse scribit annos liii, hic liv. Evidens proinde est, Arphaxad non posse esse Dejozem vel Dioclem. Et hæc quidem, ex ipsius Bellarmini hypothesis ita monstrare licet, qui,

qui nimirum supponit, cœpisse Merodachum regnare  
in anno Manassis. Quod si autem cum Funccio v. c.  
aliisq; Chronologis primum Manassæ annum referas  
ad annum Merodachi v, & annum primum Dioclis ad  
annum Manassæ quidem xi, Merodachi vero xv, tum  
annus ille Nabuchodonosor is xii, quo is regno detur-  
basse scribitur Arphaxadam, incidit in Manassis annum  
ix; sicut contigerit istud prælium tribus annis ante-  
quam regnare cœpit Diocles. Imo si quis heic sequi  
velit supputationem Gilberti Genebrardi, Theologi  
Parisiensis, (qui de opere suo Chronographico in Epi-  
stola dedicatoria ad Arnaldum Pontagum, Episcopum  
Vasatensem, ita scribit: *Cum legerim e nostris præcipuos,  
qui hoc accurarunt argumentum, voluerim, contulerim; quum  
autores sacros cum profanis diligenter comparaverim; quum  
præter ceteros, quorum hodie quidem recentes Chronologia cir-  
cumferuntur, (absit dicto invidia) Hebræos & Chaldæos con-  
suluerim, verterim, illustraverim; quum hoc quatuor decen-  
nium in hoc opus consumpserim; si me propius ad veritatem ac-  
cessisse dicam, meo jure id videor, icere, nec vereri debeo, ut  
quisquam vel temeritati, vel arrogantia, a qua me non habe-  
ri sed esse alienissimum semper studui, ac per Dei gratiam stu-  
debo in perpetuum, id tribuat, quod summo labore & studio pos-  
sedi;*) si quis, inquam, hujus Genebrardi supputatio-  
nem heic sequi velit, quando quidem is initium Dioclis  
refert circa primordia Ammonis, finem vero ad tem-  
pora Joakimi, reportaverit illam de Arphaxado victo-  
riam Nabuchodonosor ante Dioclem annis XLIX.

v. Tertia hypothesis Bellarmini est, vixisse tem-  
poribus Manassæ Sacerdotem summum, cui nomen  
Eliachim. Hoc vero probare conatur ex Chronolo-

gia Nicephori, Patriarchæ Constantinopolitani; qui enumerans Pontifices Judæorum, inter Sobnam, qui fuerit Pontifex tempore Ezechia, & Helciam, qui fuerit tempore Josia, ponat Eliachim; id quod etiam conveniat cum IV Reg. XIX, ubi Eliachim numeretur inter præcipuos Sacerdotes; & magis etiam quadret cum prophetia Isaia cap. XXII, ubi prædicatur depositio Sobnæ impuri Pontificis, & exaltatio Eliachim in locum ejus. Verum quod ad Nicephorum, Patriarcham Constantinopolitanum, attinet, non est sane ejus testimonium tanti ponderis, ut opponi possit autoritati Josephi, qui & ipse Hebræus, & eo vixit tempore, quo adhuc stabat Jerosolyma, ut longe rectius potuerit cognoscere, qui fuerint apud Judæos Sacerdotes, quam verisimile est potuisse Nicephorum, qui ipsos DCCC annos post vixit. Is vero, quem dixi, Josephus, Sacerdotes Judæorum sub Achaz, Ezechia, Manasse, enumerans, lib. X Antiq. Jud. cap. XI, nullam plane mentionem facit vel Sobnæ, vel Eliachimi, (quod enim Gretserus dicit, Eliachimum esse, qui vel *Ωδίας* vel *Σαλδύμος* ab illo vocatur, id quam sit frivolum, nemo non intelligit) sequunturq; illius hæc enumerationem tum Hebræi in Seder Olam, tum Nicephorus Callistus lib. II Hist. eccl. cap. IV, & Joh. Zonaras tomo I Annalium, (qui licet non recenset omnes sigillatim Judæorum Pontifices, tamen, uti Josephus lib. XX, cap. IXX, ait fuisse ab Arone usq; ad Phanasum LXXXIII, cum Nicephorus solummodo LXII numeret) ut de recentioribus, iisdemq; Pontificiis, v. c. Genebrardo, Sigonio, ac multis aliis, nil dicam. Et sane in Nicephori Constantinopolitani Chronologia interdum occurrere, quæ nullo plane

col. 243.

plane modo subsistere possint, ipsi illi, qui eandem ediderunt, emendarunt, notisq; illustrarunt, Johannes, inquam, Camerarius & Antonius Contius, dudum observarunt. Et Camerarius quidem in proœmio fatetur, se in Chronologia isthac, quam in Latinum sermonem antea abs se conversam ex veteri ms. primus ediderit, *deprehendisse multa & autoris & librarii errata*; & in Appendice sive notis ad ipsum illum Hebræorum Pontificū catalogum, in quo Sobnæ ac Joachimi mentio habetur, primo loco lectorem notare jubet, *non esse eum Pontificum numerum, qui a Nicephoro exponitur, verum.* Ac in specie quidem de Sobna & Eliacimo: *Quid fiet autem, inquit, de Somna & Eliacimo, Sellumi filio, quorum sunt in expositione Nicephori nomina? Ego quid dicam non habeo, & quæro. Qui habuerit, & invenerit, is proferat.* Ita Camerarius. Contius vero inter alia ad caput Chronologiae ejus XIV, quo colligitur summa annorum ab orbe condito usq; ad Theophilum Imperatorem: *Supervacaneum reor, inquit, plura de hac summa collectione differere aut commentari, cum nihil in illa collectione fere veri, aut superioribus specialibus computationibus coherentis aut consentanei habeatur. Possent & alia huiusmodi multa super addere synoptica Chronica, & inter Græcorum Svida. Sed quid erit pretii, cum & Svidas æque sit depravatus, & ex Nicephoro ad verbum videatur exscripsisse usq; ad Michaëlem, sequentia vero vel ex se, vel ex aliis recentioribus addidisse? Unde, quæso, annum condita turris Nembrotæ discere potuerunt, qui profecto ex canonicis libris elici non potest, nec Hebraicis, nec Græcis aut Latinis? Eodem certe jure quæras, unde discere poterit Nicephorus Pontificatum Sobnæ & Eliakimi, qui nec ipse ex canonicis libris elici potest? Sed conatur tamen*

8  
men inde elicere Bellarminus, afferens in medium duo  
Scripturæ testimonia. Illa ergo nunc porro considere-  
mus.

IV. Primo ait, IV Reg. xix Eliachimum no mina-  
ri inter præcipuos Sacerdotes. Respicit nimirum ad  
vers. 18. ubi adeos, qui, ut Jerosolymam occuparent,  
ab Assyriorum Rege erant missi, egressi dicuntur esse  
*Eliacim, filius Helkia, אשר על הכיר, & Sobna, הספר, &*  
*Joach, filius Asaph, המוכיר.* Sed ubi heic aliquid de  
præcipuis Sacerdotibus? Eliakim dicitur *Præfectus do-*  
*mus.* Quod officium fuisse politicum, & titulus ipse  
indicat, (unde & Lxx Eliakimum hunc *τὸν οἰκονόμον* vo-  
cant, sicut Josephus, lib. x Antiqv. cap. 1, *τὸν τῆς βασιλείας*  
*ἑταίρεσιν, regia procuratorem*) & fatetur ex Pontificiis  
Franciscus Forerius, Procurator Generalis ordinis Præ-  
dicatorum Romæ, (qui Concilio Tridentino interfuit,  
a quo etiam Indicem prohibitorum librorum confice-  
re jussus est) Comment. in Es. xxii, 15. quando: *Eliachim,*  
*inquit, in domo regia post Regem plenam habuit auctoritatem,*  
*& postquam venerunt Chaldæi, inter præcipuos Aulicos ad eos*  
*emissus est:* fatetur ex eadem Schola Augustinus Torniel-  
lus in Annalibus ad ann. MMMCCXXII, num. v; ubi,  
postquam & de Eliachimo & de Sobna, qui heic me-  
morantur, dixerat, quod *laici fuerint & ministri Regii,*  
mox speciatim de Eliacimo subdit: *Eliacim dicitur* (in  
textu sacro) *fuisse Præpositus domus, nimirum regia, vel Pro-*  
*curator.* Quam sententiam operose etiam in suo ad  
hunc locum commentario, quæst. xxxiii, propugnat  
Alphonsus Tostatus, Episcopus Abulensis, vir, teste  
Bellarmino, *sanctitate & doctrina celeberrimus, & de quo*  
merito scriptum sit:

lib. de  
Script. 479.  
2749.

Hic

*Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne.*

Sobna vocatur *Scriba*; quo quidem nomine legis interpretes in sacro codice non raro veniunt, interim & politicum munus ista appellatione ibidem notari solere, inter alia ex II Sam. iix, 17. xx, 25. & I Reg. iv, 2. liquet: ubi cum distincte enumerantur qui ab officiis fuerunt Davidi ac Salomoni Regibus, *Scribæ* sane distinguuntur a Sacerdotibus, cæterisque ministris civilibus annumerantur. Confer heic, quæ erudite differit amicus noster, Dn. D. Jo. Wandalinus, in suo *Scriba* edocto ad regnum cælorum, sive Explicatione parabola Matth. xiii, 52. quam eo ipso, dum hæc scribo, Hafniâ ad me mittit. Et quod ejusmodi quidem *Scriba* Regius (hanc appellationem habes II Reg. xii, ii.) fuerit Sobna, insinuare potest res ipsa, ad quâ obeundam a Rege fuit destinatus: missus nimirum est una cum Eliakim & Joach ad pacis ac belli condiciones, & cætera ejus generis munia præstanda; quæ utiq; Politicis potius quam legis interpretibus & Sacerdotibus solent demandari. Unde etiam ex ipsis celebrioribus Pontificiis Torniellus, loco paulo ante citato, Sobnam, qui heic nominatur, laicum fuisse ait ac *Scribam* Regis. Gaspar Sanctius ad hunc locum: *Scriba*, inquit, *apud Hebræos est Doctor in lege, & nomen honestum valde: sed fortasse hic forense nomen est, & in regia domo non ignobile; ut nobilis certe Scriba Sobna inter alios Principes legationem istam obiit.* Cornelius a Lapide (cui omnes humane divinæq; sapientie vastitatem tribuit, in Bibliotheca scriptorum Soc. Jesu, Philippus Alegambe) Comment. in Es. xxii, 15. Sobnam hunc *Scribam*, fuisse dicit *Præfectum aulae & Oeconomum Ezechiae Regis*: additq; mox, juxta Sanchez, Sobnam, cujus heic fit

B.

mentio,



10  
mentio, eundem esse cum illo, de quo Es. xxiv, 15. sed  
ab officio, quo olim erat functus, dejectum fuisse ab  
Ezechia, qui in aulam eum assumpserit, suumq; Scri-  
bam constituerit. Tandem Joach in fonte proprie di-  
citur *a memoria*: sive *recordator*; quod nomen etiam, lo-  
cis paulo ante citatis, tribuitur Josaphat; qui tamen  
ibi Sacerdotibus contradistinguitur, & inter ministros  
seculares (ut hodie loquimur) numeratur. Sanctius,  
ubi supra: *A commentariis*, inquit, *ille est, qui res gestas*  
*publicis monumentis consignat, easq; cum res & tempus exigit,*  
*in Principis memoriam revocat; qualis erat, qui Esther c. 6.*  
*factum Mardochai in publicos Annales retulit, qui, ut putat*  
*Lyra, is est, qui a nobis Cancellarius nominatur.* Et cer-  
te etiam supra laudatus Forerius Joachum hunc non-  
minus & Sobnam, quam Eliachimum pro Politicis ha-  
bet: dum enim dicit, Eliachimum missum esse ad Chal-  
dæos *inter præcipuos Aulicos* (longe profecto aliter atq;  
Bellarminus, qui eundem ibi *inter præcipuos Sacerdotes*  
poni ait) ecquos per præcipuos istos Aulicos intelli-  
gere posset nisi Sobnam & Joach? Itaq; in Reg. xii, 18.  
nihil invenitur, quod pro Nicephoro possit facere ac  
Bellarmino.

vii. Consideremus vero & alterum, ad quod Car-  
dinalis provocat, Scripturæ testimonium. Illud de-  
promit ex Es. xxii, 15. seqq. ubi prædici ait deponitio-  
nem Sobnæ impuri Pontificis, & exaltationem Elia-  
chim in locum ejus. Verum neq; heic de Pontifice quid-  
quam habetur: sed dicitur Sobna **אשר על הבירה**, quod  
male reddidit vulgatus Latinus, *Præpositum templi*, (quan-  
quam, si maxime ita reddendum, nondū tamen inde  
aliquid pro Sobnæ Pontificatu elici posset. Vide M. A.  
de

de Dominis lib. 1, cap. vii, n xi) Cum verti debeat, qui est super domum, vel, Præpositus domus; ut ipse Vulgatus alibi exprimere solet. Fuisse autem istud officium seculare, ut vocant, seu civile, jam ante, præcedenti num. vi, diximus, & nunc porro ex aliis Scripturæ locis confirmamus. Sic, v. c. 1 Reg. iv, 6. Ahisar, unus ex ministris Regiis, dicitur fuisse על בית super domum: qui tamen a Sacerdotibus expresse ibi distinguitur. Confer cap. xvi, 9. xix, 3. II Reg. x, 5. Et quodnam erat munus Josephi apud Pharaonem? aulicum sine dubio & politicum. Jam vero Pharao, adsciscens in ministerium Josephum hunc, Gen. xli, 40. אתה תהיה על ביתו inquit, hoc est: tu eris super domum meam. Ac ipse Josephus postmodum Gen. xlii, 1 præcipit את אשר על ביתו ei qui super domum suam. Quis hanc non colligeret, fuisse illis temporibus unum e præcipuis ministris in aulis Regum vel Procerum, qui diceretur סגן סוּמָר, essetq; veluti quidam Magister palatii, ceu posteriora secula illam dignitatem nominarunt? Talis proinde etiam fuit Sobna. Atq; hoc fateri coguntur e Pontificiis primarii. Etenim Hieronymus Osorius, Sylvensis in Lusitania Episcopus, verba Ihovæ Es. xxii, 15. ita וְגַם אֶת־סֹבְנָא: Vade ad Sobnam, ararii præfectum, (סֹבְנָא est in Hebræo, quod Thesaurarium vertit Pagninus, Præfectum aula Buxtorfius, LXX τραπεζῆς) penes quem modo est potestas regie moderanda. Bened. Arias Montanus, qui Tridentinæ Synodo interfuit, in eundem locum, Sobnam vocat Præfectum regie domus & familiae. Namq; ait, Hebraice & Chaldaice est, Præpositum domus, videlicet regie; quem Quaestorem Latini. Iterum ad eundem locum Corn. a Lapide: Non fuisse Sobnam summum Pontificem,

B 2

svaderi

*videri videtur ex eo, quod vocetur, non Pontifex, sed Præpo-*  
*situs templi; & quia Josephus 10. Antiq. II. ubi recenset cata-*  
*logum summorum Pontificum, non nominat hunc Sobnam. Rur-*  
*sum, quod sub hoc tempus alius fuerit Pontifex, scilicet Azar-*  
*ias, ut patet 2. Paral. 31. 13. Adde, quod Pontificatus a tempore*  
*Aaron & Sadoc non sit translatus ad aliam familiam usq; ad*  
*tempora Machabæorum: hic autem officium Sobna dicitur trans-*  
*latum ad Eliakim. Sanctius, et si nihil heic determina-*  
*re vult de officio Sobnæ, quod tamen pro summo cum*  
*Sacerdote haud habuerit, satis indicat. Ita nimirum*  
*in locum nostrum commentatur: Quis fuerit ille Sob-*  
*na, obscurum est. Foreirus Thesaurarium putat, & qui cu-*  
*raret que ad templi cultus essent necessaria: consentanee ad*  
*translationem LXX, qui vertunt τραπεζιτης, id est, Quæstorem,*  
*seu dispensatorem. De hujus munere nihil hic habemus,*  
*nisi quod sit על-הבית hhal-habeth, id est, super domum,*  
*sive, ut vertit Hieronymus, Præpositus templi. Sed infra*  
*cap. 36. & 37. vocatur סופר Sopher, id est, Scriba, seu, ut*  
*aliis placet, Thesaurarius. Et ibidem Eliakim, ad quem*  
*devolvendum esse dicitur Sobnæ munus, vocatur על-הבית*  
*hhal habeth, sicut hic Sobna; quasi jam ante adventum Sena-*  
*cherib à suo gradu dejectus, expertus fuerit minas, quas in-*  
*ipsum Isaias intorserat. De munere Sobnæ, concludit tan-*  
*dem, nihil arbitror definiri posse magis certum.*

col. 242.

VIII. Gretserus nihil invenit, quod in re manife-  
 sta cum aliqua specie obvertat. Ait tamen primo, LXX  
 Interpretes, ut Sacerdotem Sobnam indicarent, Sa-  
 cerdotalem ei domum tribuisse, eamq; τῆς πρεσβυτερίου νο-  
 casse. Sed si vel maxime concedatur, τῆς πρεσβυτερίου nota-  
 re domum Sacerdotalem, nondum tamen eo proba-  
 tum esset, Sobnam Pontificem fuisse vel summum Sa-  
 cerdo-

17

cerdotem. Nam de Sacerdotali domo nihil plane  
habetur in fonte; cui sane opponi nequaquam debet  
¶ LXX translatio, quippe quæ virtute convincendi &  
probandi prorsus destituitur, sicubi non idem dicat &  
fideliter exprimat, quidquid habetur in codice He-  
bræo, & olim scriptum fuit ab iis, quorum operam  
immediate ac infallibiliter Spiritus Sanctus modera-  
tus est; veluti suo loco pluribus ostendetur. Deinde,  
qualecunq; etiam habitaculum Sobnæ assignent Inter-  
pretes Græci, certe non possunt ipsum pro Pontifice  
habere, cum utiq; *ἱερεύς*, quò nomine eum appellant,  
non notet Pontificem.

ix. Sed excipit amplius Defensor: Etiam si Sobna *col. 243.*  
& Eliachim Regis Scribas, aut Cancellarios, aut  
prætorio præfectos fuisse daretur, exinde tamen haud-  
quaquam effici, Sacerdotes non fuisse, cum hujusmo-  
di etiam munia interdum obierint illius temporis Sa-  
cerdotes. At vero hoc pacto manifeste pervertitur  
status controversiæ. Quæritur nempe inter nos &  
Bellarminum: an Sobna & Eliachim fuerint summi  
Sacerdotes? Affirmat Cardinalis, suamq; affirmativam  
stabilire satagit ex Nicephoro Constantinopolitano.  
Quia vero facile animadvertit, ejus auctoritatem heic  
non sufficere, quærit illi robur ex Scriptura, in qua  
Eliachim nominari ait inter præcipuos Sacerdotes,  
& Sobnam nuncupari impurum Pontificem. Unde *ibid.*  
& Gretserus ipse, responsurus Junio, qui dixerat, Ni-  
cephorum male ariolatum, cum inter Sobnam & Hel-  
ciam ponat Eliachim: *criminationem istam*, ait, *in Nice-*  
*phorum, virum & sanctitate & eruditione præcellentem, re-*  
*ferunt loca Scripturæ à Bellarmino allata.* Heic vero nos

ostendimus, illa Scripturæ loca, ad quæ Bellarminus provocat, nullo modo probare, vel Eliachimum nominari inter præcipuos Sacerdotes, vel Sobnam dici impurum Pontificem; sed titulos, unde id evincere vult Cardinalis, innuere ibi officia politica. Atq; hinc luce clarius est, quæstionem nos inter & Bellarminum non esse, (ut quidem Gresserus lectori vult persuadere) an ex eo, quod Sobnæ & Eliachimo in sacro codice præfecturæ adscribantur seculares, necessario sequatur, non fuisse ipsos Sacerdotes; sed, num in illis Scripturæ locis, quos citat Bellarminus, Sobna & Eliachim nuncupentur Pontifices vel præcipui Sacerdotes. Nihil proinde ad rem faciunt, quæ heic affert Apologeta, indeq; nec opus est, ut in iis amplius exponendis nos detineamus. Unicum illud obiter solummodo monemus, esse inter ipsos Pontificios, qui adeo judicent inconueniens, unum eundemq; hominem præesse templo pariter & aulæ, ut nulla alia de causa, nisi ne tale quid cogantur admittere, negent, Sobnam, cuius mentio apud Esaiam, esse eundem cum Sobna Scriba, de quo 1 Reg. xlii, 18. Vide Corn. a Lapide in Es. xxii, 15.

x. Quarta Bellarmini hypothesis est, captivitatem Manassis accidisse initio regni ipsius. Unde & hæc probabitur? Equidem Cardinalis dicit, id annotasse Josephum lib. x. Antiq. cap. v. Sed ibi profecto nec syllaba nec apex de tempore captivitatis Manassæ. Gresserus excipit, recte heic adduci Josephum, ut qui scribat expresse, quod Manasses piacula illa, ob quæ in Babyloniam abductus est, commiserit *veos dñi, in iudicute sua.* Verum non quæritur heic de sceleribus Manassis,

fol. 233.

19  
Manassis, sed de ejus captivitate: cum potuerit sane ille  
multo prius fuisse nequam, quam abduceretur capti-  
vus, & fuerit etiã, ut demonstratur alibi. Præterea eru-  
dite, ut solet, ac fuse ex variis autoribus ostendit Da-  
niel Chamier, tomò I Panstratiæ Catholicæ, lib. v, cap.  
vii, num. xli, seqq. (cum quo heic confer Isaacum Ca-  
saubonum Exerc. I anti-Baroniana, num. xxxiv) *νέον &*  
*νιανίον* porrigere se etiam ad annum usq; quinquagesi-  
mum, hoc est, senectutis limen; ut proinde, quæ sce-  
lera Manasses admisit ante annum quinquagesimum,  
adhuc recte dici potuerit a Josepho perpetrasse *νός ὄν*.

xi. Quinta hypothesis Bellarmini est, Juditham  
vixisse non nisi ad annum cv; & sic intelligi debere  
quod habetur de numero annorum Judith in fine li-  
bri. Sed quid ibi habetur? *Mansit Judith in domo viri  
sui annos centum quinq;* Ex quibus manifestissimum utiq;  
est, juxta illa, quæ habentur in fine ejus libri, non to-  
tum vitæ spatium, quod exegit Juditha, circumscribi  
annis cv, sed tantum tempus commorationis ejus in  
domo mariti. Quod agnoscit Sixtus Senensis, lib. I  
Bibliothecæ sanctæ: *Vixit Judith, inquit, Philone  
rege, annos centum viginti quinq;: ex quibus centum & quinq;  
annis post liberatam a se patriam in sancta viduitate persevera-  
vit.* Et consentit insuper heic Stapletonus. Bellarmi-  
nus ait, quod liber Judith putatione sua exprimere vo-  
luerit annos totius vitæ, clarius colligi ex Græco textu.  
Sed quid? an ergo permittet Cardinalis, ut versio vul-  
gata Latina, quam authenticam esse jussit Conci-  
lium Tridentinum, & in qua nullo modo id dici,  
quod ipse vult, meridiana luce clarius est; an per-  
mittet, inquam, ut illa versio corrigatur juxta trans-  
latio-

lationem Græcam? Sane aliter heic sentit ejus hyperaspistes Gretserus; qui, cum contra autoritatem libri Judith objecta esset Græci Latiniq; textuum difformitas, dissidium istud non obstare ait, *quia Ecclesia Latinam vulgatam editionem declaraverit authenticam esse, non autem Græcam que hodie extat.* Quamquam interim nec video, quid heic discordiæ inter Græcum & Latinum textum. Verba quippe Græca sic habent: ἐγένεσεν ἐν τῷ οἴκῳ ἑαυτοῦ αὐτῆς ἑκατὸν κέντη ἔτη, *consenuit in domo viri sui centum quing; annis.*

XII. Sexta denique Bellarmini hypothesis est, Juditham, quando occidebat Holofernem, fuisse annorum XL. Id quod male convenire videtur cum mirabili ista pulchritudine, qua tunc temporis illa valuisse dicitur Jud. x, & quod a Bagoa Eunuchō vocatur παιδοσκη ἢ καλῆ, *pulchra puella*, Jud. XII, 13. quia nempe, ut Bellarminus ait, *ab Assyriis judicata est puella ob incredibilem pulchritudinem*, vel, ut Gretserus cum Serario, *quia ob eximiam pulchritudinis venustatem tenella etiamnum puella videbatur.* Equidem dicit Bellarminus, Dominum Judithæ contulisse, non sine novo miraculo, quendam eximium splendorem, ut incredibile pulchritudine omnium oculis appareret; idq; probare conatur ex Jud. x. Verum in Græco longe ibi aliter habetur, nempe ita: Ἐκαλλωπίστει Ἰφιδρα εἰς ἀπέτησιν ἐφ' ἡμερῶν ἀνδρῶν, ὅσοι αὐτὴν ἴδωσιν αὐτῆς, *Ornata est valde in deceptionem oculorum virorum, quicumque vidissent eam.* Ubi sane nihil de forma divinitus, & quidem miraculose, indita. Sed instat Cardinalis, etiam naturaliter aliquas feminas ita conservare formam corporis, ut, quamvis grandævæ sint, tamen juvenulæ judicentur; quomodo, v. c.

Sara

Sara jam vetula tam juvenis visa fuerit & formosa, ut, quocunque iret, a Regibus adamaretur & raperetur, Gen. xii & xx. Grefserus & Serarius, qui Juditham, dum Holofernem interficeret, jam annos habuisse quinquaginta asserunt, (sicut Gordonus ei dat LIIIX) *Non olim tantum, inquit, cum fere esset hominum vita productior, feminarum nonnullæ suam adhuc venustatem retinebant anno ætatis quadragesimo, sed etiamnum hodie; uti, si quidem minus videretur credibile, vivis adhuc & spirantibus exemplis comprobari posset.* Sed ut non negandum, posse in feminis ad tempus bene longum conservari pulchritudinem suo modo: ita vix apparet credibile, tam mirabilem formæ gratiam, a qua quidem heic Judith commendatur, in tot annorum muliere habuisse locum.

XIII. Atque ita vidimus, quam sint hypotheses illæ, quas opinioni suæ, incidisse videlicet historiam Judith in tempora Manassæ, Bellarminus substernit, partim manifesto falsæ, partim incertæ admodum & vero nequaquam similes. Dispiciamus nunc etiam paucis, quid ad difficultates illas, quibus porro sententia ista premitur, respondeat Cardinalis. Prima difficultas hæc est: Si tempore Regis Manassæ contigerit historia Judith, quare in adoratione belli, quæ narratur in hoc libro, nulla fiat mentio Regis, sed negotium illud totum tribuatur magno Sacerdoti. Respondet Bellarminus, fortasse hoc bellum incidisse in ipsam captivitatem Manassis, & idcirco, Rege absente, per Pontificem negotia regni procurata fuisse; fortasse etiam Regis mentionem factam non esse, quia non accesserit bellum ad ipsam urbem Hierusalem; fortassis denique,

C

que,



que, cum probabilissimum videatur, bellum hoc gestum esse Rege ex captivitate jam reverlo, summa negotia & periculosa tractata esse per summum Sacerdotem, quando Rex ad Deum serio conversus erat. Quam ultimam conjecturam clarius ex Serario proponit Gretserus, dum causam, quamobrem Regis heic non fiat mentio, esse ait, *quod reversus Babylone Rex, divinoq; beneficio patria sibiq; ipsi restitutus, totus, & sub reditu initium maxime, in DEL cultu occupatus erat, adeo ut, penes quos absente ipso fuerat reip. administratio, penes eosdem adhuc maneret: videreturq; Regia sese potestate libenter abdicaturus, si vel illi voluissent, vel filium, quem suum in locum sufficeret, habuisset.* Qui enim, inquit, tertio & tricesimo regni anno ei natus est Amon, natus nondum erat. Et quia pessime rem antea pace belloq; gesserat, major gratiorq; apud eos, qui per varias aut Israelis aut Judæe partes habitabant, Hebræos adhuc erat Eliacimi Pontificis & Seniorum auctoritas.

XIV. Verum enim vero, dum ita objectam difficultatem solvere conantur Bellarminus ejusq; propugnatores, in novas se rursus conjiciunt angustias. Sive enim dicatur facta expeditio illa Assyriaca, quo tempore in vinculis adhuc erat Manasses, sive, postquam e captivitate jam fuerat reversus, qui fieri potuisset, obsecro, ut Holoferni adeo plane incognita esset gens Judaica hujusque conditio? Etenim ubi præter spem Judæos videbat armatos, convocatis omnibus Principibus Moab & Ducibus Ammon, ita quærit de populo, de regione, de urbibus, de hominum potentia, de genere militiae, de Duce ac Rege, quasi qui nil unquam de Judæorum gente audivisset: *Dicite mihi, inquit, quis sit populus iste qui montana obsidet; aut que, & quales,*

*quales, & quanta sint civitates eorum? qua etiam sit virtus eorum, aut que sit multitudo eorum, vel quis Rex militia eorum?* Jud. v, 3. Qui sermo profecto est hominis, cui planissime erat ignota illa natio. Unde etiam Achior totam ejus seriem ab ipso, quod ajunt, ovo ei explicare necessum habet. Ecquis vero credat, ignorare potuisse ita prorsus Assyriorum Principem statum & conditionem populi Judaici, ut ne quidem de ejus Rege aliquid haberet cognitum, si vel illo ipso tempore Iudæorum Rex a Rege Assyriorum Babylone captivus fuisset detentus, vel etiam non nisi ante aliquot menses ex illa captivitate rediisset. Et apprime heic notetur, quod ipse Bellarminus hoc argumento utatur adversus illos, qui historiam Iudith in Monarchiam Persicam ajunt incidisse. Verba ejus sunt: *Holofernes interrogavit, quis esset populus qui habitabat in Judæa, qua potentia ejus, quis Rex, qua multitudo. At certe Rex Persarum & Principes ejus nihil horum ignorare poterant, cum paulo ante Judæos a se dimisissent.* Unde perquam imprudens est Gretserus, dum argumentum illud nostrum vocat *inaniissimum*, item *utilem argumentationem*, nec advertit, se eo ipso inaniissimam ac futilem argumentationem suo tribuere Bellarmino; cujus utiq; rationem concludendi cum nostra plane eandem esse nemo nisi mente captus negaverit.

xv. Sed operæ pretium est audire, quomodo inanitatem ac futilitatem nostræ Bellarminianæq; argumentationis ostendat Bellarmini defensor Gretserus. *Docent Grammatici & Rhetores*, inquit ex Serario suo, & col. 235. *absq; istis, quotidiani sermonis usus, plurima plurimos interrogare, que norunt optime, tantum, ut vel suam aliquam ad-*

*mirationem proponant, ab alio facti alicuius confessionem eliciant, ea, quæ norunt, laudent, vituperent, extollant, & deiciant atq; contemnant. Quod deinde multis probat exemplis, v. c. quod Adamum interroget Dominus: ubi es? quis indicavit tibi quod nudus esses? quare hoc fecisti? Gen. III, 9, II, 13. quod ex Caino idem Dominus quærat: ubi est Abel frater tuus? quid fecisti? Gen. IV, 9, 10. quod quærat ex Elia: quid hic agis? III Reg. XIX, 9. ex Jeremia: quid tu vides, Jeremia? Jer. I, II. item, quod Moses quærat: quis est Aron, ut murmuretis contra eum? Num. XVI, II. ac similibus: & deinde subjungit: Non igitur, quisquis interrogat, ideo ignorare, quia interrogat, existimandus. Sicq; absq; ullo veritatis vulnere aut molestia totum Witakeri scandalum remouetur. Hæ siquidem Holophernis interrogationes non sunt omnino ignorantis, & de quibus nihil unquam audivisset, prout iste videri vult, exquirentis: sed sunt interrogationes militis, quia præter ipsius opinionem & voluntatem ipsi, tantas copias ductanti, suisq; viribus præfidenti, resistere quidam audeant, mirantis, irascentis, hostes vilipendentis & contemnentis; quasi diceret: Quid istuc novi? tam instructas tamq; innumerabiles copias cum habeam, tot jam urbes, provincias, populos, fulminis instar, tam ocysime pervaserim, omnes vel solo Assyrii nominis terrore perculerim; dicite, obsecro, quis iste tam stolidus, tamq; ineptus & vecors populus, qui, me ut arceat, montana obsidere, arma parare, meq; contra tueri audeat? quæ, quales, & quantæ ipsorum, etiamsi essent iis, quas jam diripuimus, majores & munitiores, civitates? quæ tanta eorum virtus? quæ contra tot peditum equitumq; myriadas eorum multitudo? quis Rex militiæ illorum, suæ ipsius imbecillitatis & fortuna tam immemor, cum nuper adhuc captus, & e carceribus catenisq; nostris vix pridem effugerit? Quam esse*

esse Holophernis mentem, non negaturum ait Serario, qui adverterit, tum quod similis interrogatio habeatur hoc ipso capite vers. 17. & sub initium capituli sequentis, in textu Græco; tum quod exactam vicinorum Iudaicæ gentis notitiam Holophernes habuerit, uti manifestum ex Iud. v, 3. vi, 1. adeoq; nec filios Israel potuerit ignorare? Ita Serarius, & cum eo Gretserus: quæ si non inania sunt ac futilia, quid tandem inane dici debeat & futile, non video.

xvi. Etenim quod attinet exempla illa Genesios, quibus introducitur Deus tanquam quærens aliquid ex Adamo & Caino, res ipsa monstrat, ac in super vetustissimi sacrarum literarum Interpretes docent, institui ejusmodi ab eo interrogationes, ut increpet vel judicet illos, a quibus ad istum modum quærit. Sensum interrogationis divinæ Gen. iii ita exprimit Ambrosius libro de Paradiso cap. xiv: *Ubi est illa tua bene sibi conscia confidentia? Timor iste culpam fatetur, latebra prævaricationem. Ubi ergo es? non, in quo loco, quæro, sed in quo statu? Quo te perduxerunt peccata tua, ut fugias DEUM tuum, quem ante quærebas? Non ergo interrogatio est, sed INCREPATIO: De quibus bonis, de qua beatitudine, de qua gratia, in quam miseriam recidisti!* De interrogatione Gen. iv Augustinus lib. xii contra Faustum Manichæum cap. x: *Interrogat, inquit, DEUS Cain, non tanquam ignarus eum a quo discat, sed tanquam JUDEX reum quem puniat.* Atq; huc etiam pertinet interrogatio illa, 1 Reg. xix, 9. Sensus quippe est: *Tu ne Propheta es Domini, & fugis mulierem? times mortem? nonne tibi commissum est ut prædices verbum DEI, & vero nunc heic otiaris?* Et solemus certe etiam in quotidiano sermone, quan-


do ob perpetratum facinus illaudabile, nobis utiq; non incognitum, alicui metum incutere volumus, & indignationem nostram prodere, his ac similibus eum formulis affari: quid fecisti? *Was hastu ausgerichtet?* *Harre / du Bube / was hastu gemacht?* Quod si ergo ad hunc modum etiam Holofernes dici debeat interrogationem suam instituisse, oporteret utiq; ad Iudæos illam fuisse directam, non vero ad ἑὸς χαναάν, *filios Chanaan*. Quantum ad loca porro a Serario producta, ex Malach. i, 10. Num. xvi, 11. manifestum est, interrogationem ibi importare negationem aliquam, aut etiam insignem extenuationem; quod usitatissimum esse in lingua sancta, & etiam alias, nemo nescit. Videantur quæ in hanc rem congeffit exempla plurima Salomon Glassius noster, Philologiæ sacræ lib. iv, tract. i, Observ. i, & cum primis lib. v, tract. ii, cap. iv, pag. m. 1448. seqq. Ita verba ista apud Malachiam: *Quis est in vobis, qui claudat ostium, & incendat altare meum gratuito?* hunc in modum interpretatur Hieronymus: *NULLUS in vobis est usq; ad extremum ministerium; non dico Pontifex, non Sacerdos, non Levita, non Cantor; sed nec Janitor quidem, & is qui ignem supponat altari ad cremandum holocausta, qui non a me mercedem accipiat laboris sui.* Pari ratione Moses dum quærit: *quis est Aron, ut murmuretis contra eum?* idem est ac si diceret: *Cur murmuratis adversus Aronem, qui nullus utiq; est seu nihil, miser quippe ac mortalis homo?* Atq; huc etiam pertinet illa magnatum Holofernis interrogatio: *Quis est iste, qui filios Israel posse dicat resistere Regi Nabuchodonosor?* nihil enim volunt aliud, quam Achio rem esse hominem nihili, abjectum, nulliusq; autoritatis; adeoq; tantam non debuisse ejus esse

esse confidentiam, ut in faciem diceret Holoferni, fore ut ipse cum suo exercitu non efficeret quidquam, adversus Iudæos. Iam videat Serarius, quomodo etiam huc trahere velit illam Holofernis quæstionem, Iud. v, 3. Convocabat ille omnes Principes Moab, & Duces Amon, eosq; sic affabatur: *Dicite mihi, quis sit populus iste qui montana obsidet, aut qua, & quales, & quanta sint civitates eorum; qua etiam sit virtus eorum, aut qua sit multitudo eorum, vel quis Rex militia eorum: & quare pra omniibus, qui habitant in Oriente, ipsi contempserunt nos, & non exierunt obviam nobis, ut susciperent nos cum pace?* Ubi mox Achior, Dux omnium filiorum Amon, prolixum incipit habere sermonem, quo, captata primum benevolentia, de professo exponit Judaici populi profapiam, descensum in Ægyptum, servitutem Ægyptiacam, & quæ hanc secuta, mirabilem liberationem, commorationem in eremo, occupationem Palæstinæ, adeoq; universum ejus gentis, quem per tot annos fuisset experta, statum ac fortunam. Age, comparemus aliquantum hæc cum illa interrogatione, qua quærebant magnates Holofernis, ad Achiolem respicientes: quis est iste, qui filios Israel posse dicat resistere Regi Nabuchodonosor? Non ignorasse Holofernem ait Serarius statum & conditionem populi Judaici, & nihilominus tamen sic, ut audivimus, interrogasse. Non ignorabant item Holofernis magnates, quis esset Achior: nam, ut ipse Serarius inquit, *videbant eum; loquentem diu audierant; Ammonitarum Ducem sciebant.* Pergamus jam. Ubi interrogaverat Holofernes de conditione Judæorum, respondet ad illam interrogationem prolixa oratione Achior, & tum

tum ab Holoferne, tum ab omnibus, qui præterea ad-  
 erant, patienter auditur, usque dum sub sermonis fi-  
 nem auguratur, ni forte peccatis DEUM suum offen-  
 didissent Judæi, nunquam eos victum iri ab Assyriis. Fac,  
 sodes, ubi dixerant Holofernus magnates, quis est iste,  
 qui filios Israel posse dicat resistere Regi Nabuchodo-  
 nosor? Achiosem pari modo verbosa oratione istis  
 Ducibus exponere voluisse suum nomen, parentes, pa-  
 triam, quod esset Ammonitarum Dux, & similia; an-  
 non putas, Holofernianos judicaturos, Achiosem aut  
 ludos sefacere velle, aut etiam, cum paulo ante recte  
 saperet, illico phrenesi fuisse correptum? Scilicet  
 quando *præ ira & contemptu interrogamus* (utor verbis  
 ipsius Serarii) non solemus exspectare responsum; sic-  
 ut id insuper etiam patet ex exemplis, quæ præterea af-  
 feruntur ex IV Reg. IX, 32 & I Reg. XXIV, 10. si quidem  
 certum sit, quod supponitur, Nabali satis notum fu-  
 isse Davidem: nam ex iis sane, quæ Serarius urget, nem-  
 pe Nabalem vocare David *filium Isai*, item *fugitivum  
 servum*, non sufficienter id probari videtur; cum alte-  
 rum, esse nimirum Davidem filium Isai, Nabal ex servis  
 demum, nomine *Davidis filii Isai* ipsum salutantibus,  
 (quod, ni fallor, contextus omnino etiam svadet,) di-  
 scere potuerit; alterum convitium sit, quod in quem-  
 vis projici queat etiam ignotum, quomodo Germani  
 de validis mendicantibus solemus dicere: *es werden je-  
 ziger Zeit der Landstreicher viel die nicht arbeiten wollen.* Et  
 considerandum insuper proponimus quod ait Nabal:  
*Tollam panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum que  
 occidi consorcius meis, & dabo viris, QUOS NESICIO UNDE  
 SINT?*







Manassis, sed de ejus captivitate: cum potue  
multo prius fuisse nequam, quam abducer  
vus, & fuerit etiã, ut demonstratur alibi. Pra  
dite, ut solet, ac fuse ex variis autoribus o  
niel Chamier, tomo I Panstratiæ Catholicae  
VII, num. XLI, seqq. (cum quo heic confer I  
saubonum Exerc. I anti-Baroniana, num. X  
vianian porrigere se etiam ad annum usq; qu  
mum, hoc est, senectutis limen; ut proind  
lera Manasses admisit ante annum quinqu  
adhuc recte dici potuerit a Josepho perpetr

XI. Quinta hypothesis Bellarmini est  
vixisse non nisi ad annum CV; & sic intel  
quod habetur de numero annorum Judit  
bri. Sed quid ibi habetur? *Mansit Judith  
sui annos centum quinq.* Ex quibus manifestiss  
est, juxta illa, quæ habentur in fine ejus lib  
tum vitæ spatium, quod exegit Juditha, c  
annis CV, sed tantum tempus commoratio  
domo mariti. Quod agnoscit Sixtus Se  
Bibliothecæ sanctæ: *Vixit Judith, in quie  
teste, annos centum viginti quinq; ex quibus cent  
annis post liberatam a se patriam in sancta vidui  
vit.* Et consentit insuper heic Stapletonu  
nus ait, quod liber Judith putatione sua ex  
luerit annos totius vitæ, clarius colligi ex G  
Sed quid? an ergo permittet Cardinalis, ut  
gata Latina, quam authenticam esse ju  
lium Tridentinum, & in qua nullo me  
quod ipse vult, meridiana luce clarius e  
mittet, inquam, ut illa versio corrigatur

